



Conradus apud Belgas natus & educatus fuit. Is cum foelici ingenio esset præditus, uarijs historijs, artibus, & linguis operam dedit, & in uirum doctissimum euasit. erat etiam uitæ innocētia conspicuus. Itaq; Ioannes Cluensis & Iuliacensis dux suo filio Vuilhelmo (qui hodie ijs locis optimè rerum potitur) hunc Conradum præceptorem dedit, & in bonis literis erudiri iussit. id quod ipse gnauiter præstitit. Idem Cōradus Herodoti Historiā ad Græca exemplaria fideliter recognouit, atq; Strabonis Geographiam, & Thucididis Historiā de nouo ex Græco uertit, & Coloniae edidit 1527. Lexicon quoq; Græcolatinum auxit, & Theodo-

ri Gazæ Grammaticam transtulit. Hoc modo factum, ut ob præclaram eruditionē rem literariam plurimū iuuerit, Erasmo Roterodamo familiaris extiterit, atq; apud omnes doctos magnam gratiam inierit. Tandem is obiit, & ob uaria à se conscripta monumenta felicem apud posteros sui memoriam reliquit. Con. Gess. in Bib,